

DEDICATIO.

gotium: Ex inscitiâ meâ surrexerunt, quæ hîc vides ædificii Logici rudera, ex artificum absolutissimorum scriniis eruta sunt, quæ hîc vides palatii Logici fundamenta, tectâ, ordinem, dispositum, symmetriam, decorem, aream, parietes, apertiones, materiam, lateres, calcem, arenam, & id genus alia, quæ in ædificio splendido considerare solent architecti. Rudera nostra non demolietur, sed excitabit, firmamenta & ornamenta aliorum admirabitur juxta & ad suos convertet usus, qui Logici palatii structuram non impeditam cupit.

Nunc ad te, Josua Nobilissime, mea festinat oratio, redditura rationem inscriptionis, quâ librum qui publicâ editione factus est multorum, mihi placuit singulariter efficere tuum. Postularunt id parentis tui, viri magnanimi, erga me merita, & tua in studiis alacritas, ingenii bonitas, & morum jucunditas; quæ tria mihi hætenus, nō dico probasti, sed probas. Sic namq; me loqui decet. Cùm enim prius illud finem, posterius continuationem sonet, & verò tu persistas adhuc dum in regiâ, quam ingressus es, viâ, continuationis, non cessationis formulâ in laude tui me uti oportuit. Duplex igitur mihi fuit incitamentum ad tibi hoc, quidquid est opella, consecrandum: alterum à patre, alterum à te mihi oblatum. Principiò enim tanta parentis tui,

):( iiij